

22 Et in hoc ipsum tendit Philo Judæus (o), quatenus Moysis historiam referens, qui ut in Exodus (p) habetur, causas quasdam Israelitici populi, cuius gubernationi à Deo prefectus fuerat, aliis delegabat, Majores verò sibi judicandas reservare solebat, *Majora (inquit) dico negotia, non ut quidam existimant, controversias, que inter claros, divites, potentesque incident; sed quoties privati, egeni, obscuri, premuntur à Potentioribus, cum nulla præsidii spes est, nisi in judice.*

23 Similis quoque est Philoni D. Bernardus (q), dum Eugenium Pontificem monens, in tot emergentium in tanto munere causarum, quas alii committere, & quas suæ cognitioni reservare deberet, sic, post alia, concludit, *Causa vidue intret ad te, causa pauperis, & ejus, qui non habet, quod det; aliis alias multas poteris committere terminandas. Uterque sanè reclissimè, qui ut nostrum ostendit Emblema, & Cassiodorus (r) eleganter scripsit: Fortuna minor Principem querit, quia in vitiuperationem nostram corrunt, quibus se publica vota subducunt. Et quidquid injustum à Potentioribus pauperes patiuntur, super Principes cadit, & ipsorum culpa, ac negligentia adscribitur, & in illos querelle illæ converti possunt, quibus Habacuc colum pulsavit, dum dixit (s): Quare resipio super iniqua agentes, & taces, devorante impio justiorem se? & facies hominis quasi piscis maris, & quasi reptile non habens Principem.*

24 Quod haud dubie ad piscium, de quibus agimus, & diximus, naturam respicit, inter quos infirmiores majorum præda patent, & in escam deserviunt, & ita in Regibus necessarium est, ut Regius Vates (t), vel de ipso Deo loquens, ob hanc causam ab omnibus terra gentibus adorandum canat, *Quia liberavit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor. Parce pauperi, & inopi, & animas pauperum salvas faciet. Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram ipso.*

25 Ad quem locum respiciens Divus Bernardus (u), ex hoc quendam Eboracensem Archiepiscopum laudat: *Quia maximè claruit in eo zelus justitiae eminuit, & invulnus Sacerdotis vigor, in defensionibus videlicet pauperum, & pauperum, quibus non erat adjutor. Et alia similia tradentes Magerus (x), & Scomborerus (y), aliqui Politici (z), addunt, & pluribus probant, Deum, florissantem opibus, & victoriis effigere eorum Principum Rempublicam, qui tenuum, & miserabilem curam habent, & patrocinium suscipiunt. Quod Ego (a) etiam, de Indis favendis, & favendis agens, quibus nulli miserabiliores esse possunt, latissimè prosequor, post Petrum Gregorium, (b) Martham (c), Bobadillam (d), & alios (e) concludens, ex suprà dictis rationibus, spoliationem, & oppressionem miserabilium personarum, mixti fori esse,*

26 Et nunc addo Divum Augustinum (f), tum Principes, tum illos, qui judicandi officio funguntur, adhortantem: *Vos autem Judices, qui prætestis, justissimè judicate, nihil in judicio inique agatis, nec munera super innocentes accipiatis. Non ad personas attendatis, nec res alienas rapaci fronte accipiatis, ac diripiatis, quia de vestris, quidvis super noctem agatur, nescitis. Pauperem vel advenam nullatenus in judicio opprimatis, timentes illud, quod veritas dicit, quia in quo judicaveritis, judicamini; & quem mensuram mensi fueritis, metietur vobis, cavete ne de vobis Propheta dicat, Veb, qui potentes estis in hoc mundo, qui justificatis impium pro munere, & justitiam justi auffertis ab eo, Veb qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Labia vestra loquuntur mendacia; manus vestre plene sunt iniquitate, facta est vobis veritas in oblivionem, & justitia fugit à vobis.*

27 Extat quoque condemnatoria sententia in Judices, qui à legum prescripto, aut aquali justitia lance in judicio recidunt, à Leone & Alexandro Imperatoribus lata, quam Jacobus Menochius in principio sui tractatus de Arbitriis judicium questionibus, & causis, præfixit, & digna mihi visa est, ut hunc etiam nostrum honoret, & simul Judices oneret, qui tot animadversiones despiciunt. Illa autem sic habet: *Existimo equidem eorum neminem, qui judicario fungitur munere, eò unquam stuporis, aut inscitiae proruptum, ut aliter, quām ex prescripto legum judicium sententiam ferre audeat. Quod si quis in tantam evaserit dementiam, reus peractus, eas dependet penas, quā legibus sunt irrogatae. Sin fortè nos effugerit, per vigilem tamè atque insomnem oculum, cui nihil non quantumlibet occulum sit, patere poterit. Tametsi id ipsum imprecacionibus quoque dirisque execrationibus stabilire, ac firmare, non ab re alienum censumus. Inveniat itaque iste & Deum, & celestes omnes, atque incorporeas potestates sibi nunquam non adversantes. Immature ab hac vita excidat potius, quām escedat. Incommodes insuper afficiatur perpetuis. Ipsius ædium fundamenta ignis tandem devoret, & posteritas eò redigetur inopie, ut panem ostiati quæreret. Atque hæc jure sane optimo, propterè quid leges, quas liberrimas esse oportuit, servas quodammodo atque captivas efficit, scitorum, prævorumque judiciorum.*

(o) Phil. in lib. de creat. princip.

(p) Exod. 13. 25.

(q) D. Bernard. lib. 1. de consid. ad Eugen. cap. 16.

(r) Cassiod. lib. 1. epist. 8.

(s) Habac. cap. 1. 13.

(t) Psalm. 71. 11. 12.

(u) D. Bernard. epist. 95. cap. gloria Episcopi 71. 12. q. 2.

(x) Mager. de advoc. arm. cap. 3. n. 98. & seqq.

(y) Scomborn. lib. 6. politic. cap. 10.

(z) Saavedr. Empir. 57. pag. 420.

(a) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 27. ex n. 17.

(b) Petr. Greg. in cap. conquerente, de offic. ord.

(c) Marth. de jurisd. 2. part. cap. 21.


(d) Bobadill. lib. 2. cap. 17. num. 10. & seqq.

(e) Vela in cap. 1. off. ord. lib. 6. num. 9.

(f) D. August. de ref. Cathol. Confes.

## EMBLEMA LXVI.

## LEGUM MUNIA, URBIUM MÆNIA.



*Cingit in abruptos oculata cuspide muros  
Vallorum artifici texta corona manu.  
Lex oculus; lex vallum fit, sine legibus ergo  
Victima, Captivus Fabula, Cæcus eris.  
Urbibus & Regnis leges custodia firma,  
Dum Reges rectè munia perficiunt.*

## COMMENTARIUS.

On satis est justitiam, rectamque, & æqualem ejus administrationem, & distributionem Principibus suasisse, nisi pariter sciunt, sui quoque muneri esse, justas, sanctas, temporique, locis, & ratione conformes leges suis populis ferre, & semel latae jugiter observare. In his enim ipsius justitiae libra, norma, regulæ consistit, factæque sunt (ut D. Isidorus (a) ait) ut earum meū humana coegerat audacia, tutaque sit inter improbus innocentia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas. Vel juxta (b) Martianum Juris-Consult. ad compositionem communem civitatis, secundum qua omnes decet vivere, qui in civitate sunt. Postquam, ut Sallustius (c), & Tacitus (d) inquirunt, à veterum Mortalium, & priscorum Romanorum sanctis moribus desciverunt, apud quos jus bonumque non legibus magis, quām natura valebat. Et nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pena, aut coercitionibus agebant: neque præmis opus erat, cum honesta suopè ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum verabantur. Quod & Ovidius (e), Seculum Aureum describens, his carminibus eleganter expressit,

*Aurea prima sata est ætas, que vindice nullo*

Spon-

(a) D. Isidor. 7. etym. cap. 20.

(b) Tacit. 3. annal. cap. 26. vide Bern. quæst. 113.

(c) L. 2. D. de legib.

(d) Ovid. 1. Metam.

(e) Sallust. in Catil. cap. 9.

Sponte sua sine lege fidiam reclamque colebat:  
Pena metusque aberant, nec vincla minantia collo,  
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat  
Judices ora sui, sedevant, sine judge tuti.

2 Etenim, licet non defuerint aliqui ex Politicis, quos Mag. Marquez (f), Melchior Junius, (g) Camillus Borrellus (h), Reinhardus Coningus (i), novissimus Bernigerus (k), & alii (l), recensent, qui ausi fuerint existimare, in civili hominum societate legibus scriptis opus non esse, sed omnia prudenter Gubernatorum arbitrio committi debere, qui ex temporum, locorum, personarumque circumstantiis, & differentiis, secundum naturalis rationis judicium, quid in re qualibet probandum, & admittendum, quidvè reprobadum, ac prohibendum, deliberent, & ex bono & aequo lites, ac controversias hominum dirimant. Quo forte respexit Caligula, qui Suetonio (m) teste, saepe iactavit, Se scientiae Juri Consulorum omnem quasi usum aboliturum, efficiunturque, ne quid respondere possent præter Aequum, sive Eum, aut Ecclam, ut alii legere malunt.

3 Contraria sententia, tam prædicti Auctoriibus, quam multis aliis (n) magis probantur, nō ḡ rectius censem, & docentibus, numquam quibusvis Magistratibus, quantumvis gravas, similem libertatem, seu facultatem concedi oportere, quin potius legum præscriptis vinciri debeat, præstareque, juxta doctrinam Aristotelis (o): Eas dominari, quam unum quempiam ex civibus Qui enim legem imperare jubet, is Deum jubet imperare; qui vero bonum, bellum adjungit. Qui & ipse alibi (p) etiam docuit, Nullam esse Rem publicam, ubi leges non tenent Imperium.

4 Quem sequutus Cicero (q), post plura, qua de earumdem commendatione disseruit, serio affirmit, In illis Reipublicæ nervos, libertatis fundamentum, fortē a quietatis, mentem, animum, consilium, sententiamque civitatis consistere; eumque, qui jus circile contemendum putet, vincula revellere, non modo Judiciorum, sed etiam utilitatis, vitaque communis. Et Demosthenes, & Chrysippus à Martiano Juris-Consulio relati (r), post alia multa, ob quæ oporteat legibus omnes homines obedire, illud considerant, quod Lex sit inventio quædam, & donum Dei, decretum autem bonum sapientum, ac proinde, ut omnium divinarum, atque humana Reginam, & bonis, & malis præsidere oportere, & ducem esse, justorumque, & injustorum regulam, præceptricem quidem faciendorum, probabitricem autem non faciendorum.

5 Ad quam item obedientiam respiciens Henricus Oræus (s) hoc Emblema formavit, sub titulo, Obedientiam holocaustum patior.

Nempe Magistratum subjectum legibus esse,  
Prompta mente Dum justaque iussa sequi:  
Sponteque mandato, & patienter munere fungi,  
Conveniant patrie civibus ista bonis.

Et Salvianus (t) elegantissime Nobis leges Antidotum esse inquit, quibus est vitiositas venenum, & sanare nos posse legis antidotum, quos occidunt venena vitorum, id est, si legi non obedientes, eis recalcremus. Ubi ejus Scholiastes Livium ad idem allegat, & hoc versu Salviani sententiam donat,

Antidotum lex est, vitiosaque vita venenum.

6 Hocque in causa fuisse videtur, ut Legislatores ipsi, vel Dii ab Ethnici appellari solerent, vel Deorum certè numero, ac loco habiti fuerint, ut late Cælius Rhodiginus (u) ostendit, & Virgilinus (x) de Saturno, qui primus Italæ populis leges dedit, sic canens:

Saturni gentem hand vinclo, nec legibus aquan,  
Sponte sua veterisque Dei se more tenentem.  
Prinus ab ethereo venit Saturnus Olympo,  
Is genus indocile, & dispersum montibus altis  
Composit, legesque dedit.

7 Ceres quoque, tamquam Dea legifera, seu qua prima, ut triticum, ita & leges hominibus dederit, apud Poëtas passim, & alios Auctores celebratur, inter quos Ovidius (y), sic habet, Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,

(f) Marq. in gub. Christ. lib. 1. cap. 17. §. 2. pag. 101.  
G seqq.  
(g) Jun. quer. 86.  
(h) Borr. de prest. Reg. Cat. cap. 3. num. 86.  
(i) Conin. in Theat. polit. 2. p. cap. 2. ex pag. 11.  
(k) Berneg. q. 12. late Salas de legib. disp. 6. sect. 2. pag. 100.  
(l) Saaved. Empres. 21. ex pag. 134. Petit. de Prince. lib. 3. cap. 9. pag. 226.  
(m) Suet. in Calig. cap. 14.  
(n) Beroal. Casaubon. & Scalig. in notis Horiom. 3. obs. cap. 10. Carranz. de partu, pag. 122. Simanc. Contz. Me-

Pri-  
noch. Mastrill. Valenz. & alii, quos referto, & sequor 2. sem  
lib. 4. cap. 12. num. 55. & seqq.  
(o) Arist. 1. polit. cap. 12.  
(p) Idem 4. pol. 4.  
(q) Cicer. in orat. pro Client. & in orat. pro Cecin.  
(r) Mart. in d. 1. 2. D. de legib.  
(s) Oræus Icone 11.  
(t) Salvian. lib. 4. de gub. Dei, post princ. ubi Riteribus.  
(u) Rhodig. lib. 18. cap. 19.  
(x) Virg. 8. Æneid.  
(y) Ovid. 5. Metam.

Prima dedit fruges, alimentaque nitia terris.

Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.

Et Virgilius (z):

Maculant lectas de more bidentes

Legiferæ Cereris.

Ubi Servius (a), post Diodorum, & Pliniom (b), docet, hanc ob causam ei sacra Thesmophoria, id est legiferalia, fuisse dictata, hocque idèo confitum: Quia ante inventum frumentum à Cerere, piassim bonas sine legibus vagabantur, que fertas interrupta est, invento usu frumentorum, postquam ex agrorum discretione natu sunt jura. Et consonat Cicero (d), qui Cereri, Proserpinam ejus filiam utriusque inventionis sociam faciens, sic inquit: Ab his initia vitæ, & virtus, legum morum, mansuetudinis, humanitatis exempla, hominibus, & civitatibus data, ac disperita esse dicuntur.

8 Ut sic interim omittam Mercurium, qui Thebis, Herculem, qui Celtis, Zoroastrum, qui Persis, Minoem, qui Cretensis leges dederunt. De quo ultimo narrat Plato (d), novem annos in antro latuisse, ut illas meditari, & divino Numini Jovis patris sui acceptas ferre posset, quo in annorum numero Marsilius Ficinus (e) novem Angelorum Hierarchias denotari ait, per quas Deus solet leges hominibus communicare. Quod & agnovisse videntur alii Legislatores, qui ut Darii Auctores (f) recensent, leges quæ tulerunt, à variis se Numinibus accepisse, suadere co[n]ati sunt, ut Zaleucus Locrensius Legislator, qui se Magistra Minerva uti dicebat, Lycurgus, qui Lacedæmonios legibus instituens circa primam Olympiadem, leges suas ad Delphicum Apollinem retulit, ut & Charondas Carthaginensis Legislator in Saturnum, Zamolxis Scytharum in Vestam, Solon, qui postea Athenis leges ferens, eas quoque Palladis insignit auctoritate: Numma Romanus, qui Ægeriam Nympham sibi ad aurem instillasse confinxit. Quod nec perfidus & spurious Mahomedes omisit, ut Gabrielem Angelum referens leges, quas suis Arabibus dedit, ut latius in libro de ejus doctrina refertur.

9 Et ad hanc consuetudinem non ineptè allusit ille, qui dixit,

Cecropio Pallas dictat pia iura Soloni.

Que dat Amicho Phœbus Apollo viro.

Quas dedit Ideis leges Gortynius Heros

Acceptas patri retulit ipse suo, &c.

10 His facile plura addere possent, qua passim ab aliis Politicis Scriptoribus (g) de earumdem legum utilitate, & necessitate verbis amplissimis proferuntur, inter quos Dio Chrysostomus, qui latissimam de eis orationem scripsit, sic incipit: Lex autem est dux vitæ, & civitatum præfectus communis, negotiorumque justa regula, justa quam quicquid dirigere oportet eodem modo: sin minus parva erit & cura. Hanc qui observant, salvi permanent: qui autem transgredientur, primùm quidem se ipsos perdunt, deinde & alii se se exemplum, & imitamen iniquitatis atque violentia exhibent, &c.

11 Sed omitti non potest nobile, licet vulgatum Apophtegma Pittaci Mitylænai, à Plutarcho, (b) & aliis (i) relatum, qui à Cresso interrogatus, quod esset maximum Imperium? Respondit, Varii ligni. Leges sub hoc ænigmate denotans, quæ olim (k) in dolatis lignis, seu tabulis, aliquando etiam æreis, aut lapideis, scribi, ac proponi solebant, ut ab omnibus legi, ac conspici possent, ut ex multis juribus constat, & aperte post Plinium (l) docet Horatius (m), dum dicit:

Fuit hæc sapientia quondam,

Publica privatis secernere, sacra profanis:

Oppida moliri, leges incidere ligno.

Ovidius (n) supra citatus Ære ligabantur. Et venustissime Plautus (o), sic questus:

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam;

En miseræ etiam ad parietes sunt fixe clavis ferreis,

Ddd

Ubi

- (a) Virg. Æneid. 4.
- (b) Serv. ad Virg. sup. Diod. lib. 6.
- (c) Plin. lib. 7.
- (d) Cicero. ad 6. in Verrem.
- (e) Ficin. in Plin. sup.
- (f) Herodot. lib. 1. Plat. & Diodor. sup. Valer. Max. lib. 2. Cicer. 2. de legib. Alian. de var. hist. lib. 2. Hall. carn. lib. 2. Livius lib. 1. Plutarch. in Num. latin. 1. cap. 22. Rhodig. dist. cap. 19. Glossa verb. Divin. in 1. fin. C. de long. temp. præscript. Spinacis in Polit. fol. 5. & 6. Quesad. q. 16. n. 2.
- (g) Petr. Greg. de Rep. lib. 10. cap. 5. Contz. 1. Polit. cap. 23. & lib. 5. cap. 1. & seqq. Simanc. lib. 4. de rep. cap. 18. lib. 9. cap. 7. Philip. Camer. 3. subct. cap. 44. ex pag. 152. Rithors. ad Novel. ex pag. 120. Alphab. curiosit. 2. pars. fol. 105. Lips. in monitis politic. lib. 2. cap. 10. Saaved. Emp. 21.
- (h) Plutarch. in Apoph.
- (i) Laert. in Pittac. lib. 1. cap. 5.
- (k) L. 2. de orig. iuri. l. 1. de bon. poss. secund. lib. 1. 1. C. de frum. urb. const.
- (l) Plin. lib. 34. cap. 9.
- (m) Horat. in Art. Poetic. lat. Beyerl. in Theatr. lits. L. ex pag. 60.
- (n) Ovid. 1. Metam.
- (o) Plaut. in Trinum.

*Ubi malos mores affigi, nimio fuerat æquius.*

12 Unde & ipsas leges, non solum à ligando, verùm & à legendo, hoc nomen sumere potuisse, plures existimant, quos latè Joannes de Salas (p), Joannes Fungerus (q), & alii (r) recensent. Tantique eas fecit Imperator Leo (s), ut Oculos Républicæ, his verbis appellavit, Nam qui leges Républicæ oculos esse dixerit, is profectò, mea sententia, illas ita vocans, nihil indecens pronuntiaverit. Quemadmodum enim res maximè necessaria est animali non titubans oculus, ita & Républicæ legum æquus, & rectus status.

13 Ex quibus simul junctis Pitacci, & Leonis disteris, Nos, ad significandam, & suadendam legum virtutem, utilitatem, & necessitatem, præsens, quod cernis, Emblema formavimus, urbem nimirum depingentes, robustis lignorum palis, oculos in cuspide habentibus, undique vallataam & circumseptam, qui vulgo Estacadas dicuntur, & etiam Vallantes, à vallis, quibus castra cingi, muniri, ac defendi solebant, sic appellati, ut ex hoc intelligi possit, nullum validius, ac præstantius monumentum, & fundamentum ad ipsarum urbium tutamen, & conservacionem excogitari posse, quād bonarum legum prudens mentibus civium infixio: earundemque exacta, & providens observatio.

Quo quidem symbolo, (ni Nos nostra fallit opinio) aptius & congruentius suprà fatum intentum designamus, quam illo alio Pierius (u), qui coronam, legum indicium dici, tradit, propterè quod certis est vinculis complicata, quibus vita nostra veluti religata coërcetur. Et jugum (u) etiam, aut frænum (quo Noster quoque Saavedra (x) novissimè uitum) quod his vita hominum, alioqui lascivientium, Juxta Regii Vatis (y) mouita, subjugetur, & constringatur; & Poëta qui dixit:

*Nost? Equus est populus, tu inssor, frænaque leges.*

Etenim, quod leges potiora, & validiora urbium incnia esse dicamus, ultra Pittaci Apophthegma suprà relatum, similis alio (z) Agesilai, & Pompei Magni fulcit, qui in legibus etiam, magis quam in hastis, & gladiis, civiumque fortitudine eaurum urbium securitatem, & defensionem positam esse responderunt. Heracliti, qui, Laëtrio (a) narrante, dicebat, cives noī minùs opertore pugnare pro legibus, quam pro monib; Quod absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolamis, absque manib; possit. Quibus cohærens Solon, percontatus, quo pacto salva posset esse Respublika? respondit, ut Maximus Tyrius (b) recenset, si cives quidem Magistratu obediunt; Magistratus autem legibus. Sentiens sic sapientissimus vir, eam civitatem conservari nequam posse, ubi ex unaque parte legum neglectus sit.

14 Unde & Solomon in Proverbiis (c), viros justitiam, ac leges amantes, & observantes, in turri fortissima, quæ est nomen Domini, defendi, & exaltari, nos docuit, & veteres (d), Cererem ipsam, quam suprà legiferam, & frugiferam diximus Turritam depingebant, quasi urbes & homines his muneribus congerit in unum, & ad sociabilem, securam, & rationabilem vitam reduxerit. Summusque Poëtarum Virgilius (e), Jovem inducens, de Aenea fœlicitate vaticinante, sic fatur;

*Bellum ingens geret Italia, populosque feroce*

*Contundet, moresque viris, & menia ponet.*

Legum, ut vides, ac morum, primo loco mentionem faciens, ut sic ostendat, harum quoque latitatem, & rigidam observationem, mœniis anteriorem, & utiliorum in urbibus esse, ut bene Modernus (f) quidam animadvertis, & Plautina illa virgo, quæ dixit (g),

*Oppidam si incole bene sunt morati, pulchre munitum arbitror, &c.  
Hec nisi aderunt centuplex murus rebus servandis parum est.*

15 Et ne per ambages ambulare videamur, eamdem vallorum nostri Emblematis, & legum comparationem, expressè observavit Alphonsus Rex noster, in quadam (h) ex suis legibus, sic cum Aristotele inquiens: E dice, que el Reino es como huerta, è el pueblo como arboles, è el Rei es Señor de ella, è los oficiales del Rei (que han de juzgar, & han de ser ayudadores a cumplir la justicia) son como labradores; los ricos omes, è los Cavalleros, son como a soldados para guardarla; è las leyes, è los fueros, è los derechos, son como valladar que la cerca; è los Jueces, è justicias, como paredes, è setos, porque se amparen, que non entre ninguno a facer daño, &c.

Quod

(p) Salas de leg. disp. 1. scrl. 1.

(q) Funger. in etymol. verb. Lex.

(r) Beyerl. supr. pag. 70.

(s) Leo Imper. Nov. 1.

(t) Pier. lib. 41. fol. 30. 4.

(u) Idem Pier. lib. 48.

(x) Saaved. Emp. 21.

(y) Psalm. 31. 9. & 2. 3.

(z) Coning. 2. part. cap. 16. pag. 117.

(a) Laert. lib. 9. cap. 2. Petr. Greg. de Repub. lib. 10.

cap. 2. num. 3.

(b) Max. Tyr. term. 50. Ant. in Melisita p. 1. term. 67

Stob. term. 41.

(c) Proverb. 18.

(d) Girald. de Diis Gent. syntagm. 14.

(e) Virg. Æneid. 1. vers. 267.

(f) Joan. Caramuel de insign. Hispan. pag. 207.

(g) Plaut. in Pers. act. 4.

(h) L. 3. tit. 10. part. 2.

16 Quod autem in vallorum apicibus, veluti pro cono, oculos addiderimus, ultra Leonis Novellam, quæ leges oculis æquat, seu similes facit, non solum ad Magistratus respicimus, qui leges vivæ, & videntes, ac proinde oculi Reipub. dici solent, ut supra in alio Emblemate diximus (i), sed etiam ad Ægyptiorum mysterium, qui ut post Diodorum Siculum Orus (k) Appollo in suis Hieroglyphicis tradit, per oculum pictum, Deum demonstrabant, sive legum justitiaeque servatorem, unde & in Sceptris suorum Regum, post Osirim, oculum imponebant, sic Regum & legum vigilantiam, & moderationem, ut ex Plutarcho (l) Causinus (m) refert, significantes, qui oculo vident, Sceptro regunt, qua præviderunt, & cum, ut ait Plato, suis popularibus veluti Dii sint, rectè eisdem prospicere debent.

17 Quod, ut Valerius (n) Maximus inquit, mirificè etiam expressit Thales Milesius: Nam interrogatus, an faœta hominum Deos fallerent? Nzc cogitata inquit. Ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vollemus; cum secretis cogitationibus nostris celeste numen adesse credidimus.

18 Et planè, cum secundum doctrinam Aristotelis (o), omnis hominum vita in duo tempora, belli nempe & pacis distribuatur, non minus in hoc legum cura, quam armorum in illo præsidium, his, qui Rempublicam salvam, testamque esse volunt, necessaria est, quod & Justinianus Imperator (p), vel pueris notus, edocuit, dum Imperatoriam, inquit, Majestatem, non solum armis decoratas, sed etiam legibus armatam esse oportere, ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè possit gubernari, de quo loco jam aliqua suprà (q) in alio recoluit. Et de Tertiæ partita Proæmio, quod cum eo in omnibus consonat, ubi Glossator Gregorius (r), ita in nostris terminis inquit: Fundamentum civitatis, magis stat in legibus, quam in lapidibus, & muris leg. 2. §. & postea, & ibi Baldus de orig. jur.

Et nunc Ciceronem (s) addico, post longam disputationem ajentem, Lacedæmoniorum Imperium, multò plus Lycurgi legibus, & disciplinæ debere, quam aut Pausanæ, aut Lysandri rebus gestis: quorum tamen virtute magnopere illud dilatum putabatur, Parvi enim (inquit) sunt foris arma, nisi sit consilium domi, neque minorem utilitatem adferunt, qui togati Républicæ præsent, quam qui bella gerunt.

Quam sententiam Ciceronis æmulatus Valerius Maximus (t), sic dixit: Quid enim prodest foris esse strenuum si domi male vivitur? Expugnent licet urbes, corripiantur gentes, Regnis injiciant manus, nisi foro & curiæ officium, ac verecundia sua constiterit, partarum rerum æqua-  
tum calo cumulus, sedem stabilem non habebit.

20 Et post Demosthenem (u), qui latè in eodem argumento discurrit, in idem tendit Seneca Tragicus (x) inquiens,

*Ubi non est pudor,  
Nec cura iuriis, sanctitas, pietas, fides,  
Instabile Regnum est.*

Et Cassiodorus (y), sub nomine Theodorici Regis, sic inquiens: Delectamur jure Romano vivere, quos armis cupimus vendicare: nec minor nobis cura esse rerum moralium, quam potest esse bellorum. Quid enim proficit barbaros removisse confusos, nisi vivatur ex legibus. Et iterum (z): Propositi nostri est, ut provincias nobis Deo auxiliante subjæctas, sicut armis defendimus, ita legibus ordinemus, quia semper auget Principes observata justitia. Et quantum probabilis institutione vivitur, tantum proæstibus aggregatur. Quod jam ipsum esse videtur, ac illud D. Ambrosii (a) In casum contra exteriore inimicorum campos bellum geritur, si intra urbis mœnia jus insidians habetur. Et Accursii (b), dum leges, & legiones duo mundi brachia appellavit.

21 Civitatis quippe legibus conservatis, salva quoque populi dominatio est, ut Æschines (c) dicebat, contra verò illis deficientibus, vel parvi factis, Rempublicam non esse Rempublicam, nec Regna diutius consistere, nec inter homines & belluos aliquam differentiam esse, quia idem præstant, quod Clavus in rota, rectè post Platонem (d) Plutarchus (e) scripsit. Satisque Persarum Reges cognovisse videntur, qui, ut jam suprà in alio Emblemate (f) tetigisti, post aliquot dies à mortuo Rege, populum legibus solutum esse sinebant, ut ex damnis tunc occasione laxationis ejusmodi contingentibus, in posterum disceret, melius esse earum vinculis compediti, & libertatem

(i) Supr. Emblem. 54.

(t) Valer. lib. 2. cap. 9. de cens. sever. in princ.

(k) Orus lib. 4.

(u) Demost. orat. Olin. 2.

(l) Plut. de Isid. & Osirid.

(x) Sene. in Thyest., Act. 1. Scen. 1.

(m) Causin. in Polynth. Sym. lib. 2. cap. 68.

(y) Cassiod. lib. 3. epist. 43.

(n) Valer. lib. 7. cap. 2. §. 8. Laert. in vit. Thal. & Cic.

(z) Idem lib. 4. epist. 12.

(a) D. Ambrosius.

(b) Accurs. in l. 1. in princ. C. de Justin. C. confirm.

(c) Æschin. in Theæph.

(d) Plat. 1. de leg.

(e) Plutarc. contra Colot.

(f) Supr. Emblem. 20.

tem libertate nimia perire solere. Neque enim sublata libertate leges, neque sublati legibus potest esse vera libertas.

22 Et pleniū Themistius (g), tradens, Lycurgum de quo modo loqui sumus, post leges Spartanis datas, Delphos adem Apollinis ingredientem, à Pythia Deum compellatum fuisse; huncque honorem, non tam ei exhibitum ab oraculo, ob victorias, & alias res praeclaræ ab eodem Lycuro gestas, quas ibi latè commemorat; sed quod justitiam, simul cum clementia junctam, amaverit, suisque factis exhibuerit, & cum Spartanam Rempublicam, sine ullis legibus perturbatisam, & bellorum tumultibus refertam accepisset, subinde eam pace, atque optimis legibus undeque repleverit.

23 Veteres quoque post Chrysipum, ut eamdem legum necessitatem, non minus quam armorum, Reipublicæ conducere demonstrarent, justitia simulachrum in foemina exhibebant, quæ dextra mamma puellum unum, sinistra alterum collactabat, sic in Republica belli, ac togæ, sive legum, duplex præsidium requiri significantes. Unde Petrus Costalius (h) primum ex suis Pegmatis fixit, ita inquiens,

*Quæ Dea, quæ binos gemino fovet ubere fatus,  
Et pia sollicitæ munera matris obit?  
Justitia est, penso caræ perfundita parentis:  
Dextra fovet bellum, mamma sinistra togam.*

24 Et statim adnecti, quod quamquam vetus fuerit Ciceron (i), multorumque aliorum (k) sententia, leges, & justitiae universa seminaria, inter arma intonuerit, atque ubi intonuerit clasicum, præstantissima illa pacis legum, & togæ studia de manibus excuti, illud tamen reliquum esse, militia vincula suas quoque leges desiderare, & in utroque tempore multum earum præstantiam excellere. Cum neque inter latrones, semotis illis, societas, ut suprà diximus, consistere possit, & ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus & nervis, ac sanguine, & membris uti non valeat.

25 Quam obrum Plutarchus à Ccelio Rhodigino (l) laudatus: *In civitatibus (inquit) alia ad honestatem pertinent, quedam & ad necessitatem. Honestorum verò omnium illud maximum est Eu-nomia, id est legum bonitas; necessariorum autem Euporio, id est rerum aucteria.*

26 In quo recedit, & illud Solonis (m), ab Albano Spinasato relati,

*Quæ legum improbitas urbes offendere solet,  
Tam paria concinnaque facit Eunomia cuncta.*

Et Joviani Pontani prudentissime inquisiens, facile nos cognoscere posse, quantum utilitatis affectat legum observantia, & obedientia: *Si consideremus, in qua Republica, nec Magistratibus, nec legibus honor habetur, eam diu salvam esse non posse, quando salus tranquillitasque civitatis inservandis legibus sita est omnis. Quare que observantia esse potest, ubi & virtus in pretio sunt, & Magistratus contemnuntur? Quorum contemptus civilium omnium malorum origo, & fomes est, &c.*

27 Id quod Romulus etiam ostendere voluit, dum ita acriter in Remum fratrem animadvertisit, non tam quod urbis muros lapideos transiliisset, quam leges de eis non transiliendi datae, quæ ut diximus, potiora, & securiora urbium moenia esse judicantur. Ad quod tendunt carmina Guntheri (n), ita in suo Ligurino loquentis,

*Audierat fortasse puer generosus, ut olim  
Ille sua primus Regnator Romulus urbis,  
Conditor Imperii, teneras infringere leges,  
Atque humiles ausum saltu transmittere fossas,  
Jusserat ultrici fratrem succumbere morti,  
Dum caput aterni fundamina ponere Regni.*

28 Est quoque in eamdem rem menti semper tenenda Cassiodori (o) sententia, qui in hac obedientia legum, numquam in excessu peccari inquit, neque axioma illud, *Ne quid nimis, toto orbe famosum, locum habere, Sic enim est necessaria, ut sedula non sufficiat, sed nimia omnino exigitur. Qui & ipse alibi (p), veluti ad sepimentum Emblematis nostri respiciens, quod ex legibus fecimus, in eodem etiam civitatum & civium plenam securitatem consistere, sic ostendit, Non sit Novitas molesta, quæ proba est: quid enim potest esse felicius, quam homines de solidis legibus considere; & casus reliquos non timere? Iura publica certissima sunt humane vita solaria, infirmorum auxilia, potentum frena. Amate, unde & securitas venit, & conscientia proficit.*

Et

(g) Themist. orat. 5. in princ.

(h) Costal. pegm. 1.

(i) Cicer. pro Milone.

(k) Senec. in Herc. furent. Valer. lib. 5. cap. 2. Ajala de jur. belli, lib. 2. cap. 5. n. 7. Ego 1. tom. lib. 3. cap. 6. num. 44. & seqq.

(l) Rhodig. lib. 18. cap. 19.

(m) Solon. apud Spinasat. lib. 1. polit. cap. 4.

(n) Gunt. in Ligur. lib. 1.

(o) Cassiodor.

(p) Idem lib. 3. epist. 17.

Et rursus (q): *Hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quia enim à bellica confusione pax tranquilla distabit, si per vim litigia terminantur. Quod etiam prius dixisse comperio Imperatores Honorium & Theodosium, vel Iudeos ipsos, & alienæ Religionis homines, sub hac tutela his verbis constituentes (r): Idcirco tanen iudiciorum vigor, jurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem.*

29 Et ut Jam me ab iis expediam, contentus ero Matthai Scholastici (s) verba referre, qui æquè, ac Nos diximus, inquit: *Sunt enim leges muri, & fundamenta civitatum, in quibus bonos quam diutissimè detinent, malos arcent, & iis appropinquare non sinunt. In his salus bonorum, in his consilia civitatis, in his pacis præsidia continentur. Quod stamus, quod incedimus, quod dormimus, ac denique quod securi vitam agimus, id totum est legum defensioni attribuendum. Que nisi sceleratorum hominum libides, & avaritiam cohíberent, non mulieres pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus, &c.*

30 Unde prudenter admodum Aurelius Alexander (t) Papiniani responsum, quo legem definens inter alia inquit: *Communem civitatis sponsonem esse, ita explicat, ut his verbis demonstrare voluerit, legis beneficio omnes esse securos (u), ut tranquillitas publica certum præsidium ei debeat accepito ferri; quasi fidelissorio nomine salutem civium in suam fidem recipiat, & in omnibus, quæ contra æquitatem in tot humanis erroribus fiunt, defensionis suæ munimentum spondeat. Ad illam quippe provocant, qui premuntur injuriis; in legum quieto sinu beatus tranquillitas publica status acquiescit. In ejus tutela ipsa aquitas, ceterarum domina virtutum moratur, atque inde operam suam sublevans hominum calamitatibus reprobrit. Itaque illa demum civitas rectè constituta esse censetur, quæ optimis legibus, tamquam fundamentis firmissimis in spem certissimæ salutis assurgit.*

31 Quæ cum ita se habeant, & ex bona ac provida legumlatione, & observatione ita uberes fructus in Republica colligantur, id vel ipsum efficere debet, ut Reges ac Principes summopere current, maturum consilium in illis promulgandis adhibere. Nam erroneæ, & inconsultæ plus danni afferunt, quam homines occidere, ut graviter Petrus Gregorius (x) observat. Claras quoque & breves esse curare debent, & quæ jubeant, non disputent, quòd facilis ab imperitis teneantur, & velut emissâ divinitus oracula sint, ut Seneca (y) inquit, statim adjiciens, *Nihil videtur mibi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo.*

32 Necnon item, ne adeò sint multa, ut sua numerositate laborent. Nam & hoc ipsarum contemptum, oblivionem, & quod sapè accidit, contradictionem, ac perplexitatem inducit. Maleque se habere mysticum Reipublicæ corpus ostendit, ut infra latius (z) dicemus. Et cum impossibile sit, ita leges scribere, ut omnes causæ, vel articulos, quæ quandoque acciderint, comprehendere possint, ut bene Julianus (a) *Juris-Consultus prævidit*, satius est, ut idem indicat, eas in pauca contrahere, & justi Dominatoris, vel prudentis Judicis determinatione, futuros causæ refinqueret, quam dum omnes prevenire singulis legibus volumus, omnes pariter earundem multitudine, aut contrarietate confundere, & obscurare. Quam doctrinam Julianus ab Aristotele (b) sumpsisse videtur, expresse monente: *Nihil adeò, ut leges positas, debere dominari, eas verò justas esse, que ad Reipub. speciem fuerint accommodatae. Illum autem, qui eidem Reipub. præest, sive unus hic sit, sive plures, debere in his potestatem habere, in quibus leges expresse carere non possunt, ex eo, quia non facile sit, generali sermone singulos causæ comprehendere.*

33 Neque ab ea discrepat Seneca (c), rectissimè docens, quid fieri soleat, aut quid oporteat, in universum, & mandari posse & scribi, & tale consilium, non tantum absentibus, sed etiam posteris dari: *Quedam verò (inquit) nonnisi à presente monstrantur. Non potest Medicus per epistles cibi, aut balnei tempus eligere, vena tangenda est: vetus proverbium est, gladiatorem in arena capere consilium. Aliquid adversarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intentum monet, &c.*

34 In semel etiam latius legibus conservandis, magnam quoque cautionem adhiberi debere, satis jam suprà (d) probatum reliquimus, illud, inter alia Cleonis, sive Thucididis adducentes, qui multò meliorem statum civitatis esse dicebant, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus uitur, quam illius, quæ bonis quidem, sed irritis, aut facili mutationi subjectis. Quod, etiam si alia plura damna deficerent, quæ inde subsequi solent, de quibus alibi (e) dixi, vel ob solam notam va-

ria-

(g) Idem lib. 4. epist. 10. concordat l. nemor.

(r) L. nullus, C. de Jadeit.

(s) Scholast. de vero & Christ. Princip. lib. 1. cap. 2.

pag. 6.

(t) Alex. Aurel. in Axiom. pol. pag. 92.

(u) L. 1. D. de Legib.

(x) Petr. Gregor. de Repub. lib. 10. cap. 5. num. 18.

(y) Senec. epist. 93.

(z) Infr. Embl. 68.

(a) L. neque leges, cum seqq. D. de legib. consonat l. 1.

zit. 3. part. 7.

(b) Aristol. 3. polit. cap. 7. in fin.

(c) Senec. epist. 22.

(d) Supr. Embl. 51.

(e) Dict. Embl. 51. & in 2. tom. lib. 2. cap. 36. ex n. 99.

riationis, & inconstantiae (valde quidem in Principibus, & Senatoribus, quorum consilio ejusmodi leges sunt, vituperabilis, & erubescendae) semper ac fieri potest, excusari debet, ut pluribus plures (f) ostendunt, quos alio etiam in loco recensui. Et his nostris calamitosis temporibus reperire oportebit, in quibus leges ephemeras vidimus, & prius sacer in populum latas, quam an populus eas ferre posset, vel tempori aptae, atque effectu & executione promptae essent, diligenter inspectum fuisset.

35 De quibus omnibus, qui plura velit, adire poterit plenissima scripia Patrum Francisci Suarez, Joannis de Salas, Antonii Velazquez, & aliorum (g), qui peculiariter de legibus scripserunt. Mihi ad hujus Emblematis illustrationem haec tetigisse sufficiat, & colophonis loco ad literam Natalis Comitis (h) verba referre, qui inter alias conditiones legis, ejus immutabilitatem, sive perpetuitatem desiderat, interim dum in totum ratio justitiae, ejus constituta, non defecerit, & statim valde coherenter ad id quod modo de erubescenda legum facili varietate pupugimus, sic signatissime inquit: *Cum lex sit iuricium fundamentum Rerum publicarum, turpe est, & puerile in Regno delirare. Ebriosorumque more, modo hic, modo illuc fluctuare, aut sepius tamquam ab inferis mortuum legem per praeconem revocare frequentibus promulgationibus. Sed conuenit legem ab initio ante promulgationem diligenter consideratam, mox fieri civibus contubernalem, non minus in animis, & consuetudine civitione, quam in libris publicis stabilitam. Est enim clarissimum male institutae civitatis indicium, si leges sepe repetantur, quod certe non fieret, si a Sapientibus late essent priores, ac semel late juberentur, ut conuenit, servari, &c.*

36 Nullam porrò meliorem normam in legibus ferendis sequi posse, quam si Christi legem in omnibus, quoad fieri possit, observeremus, & imitemur, piè satis & doctè Alexius Salamanca (i) tribus libris, Dialogis prosequitur, in quorum Calce, haec non contemnda carmina invenies,

*Fatidicis quicunque libris, & legibus ahmis  
Instrutus, pretiosum à vili excludere nosti:  
Cur p̄etermisso Christo, qui est virus aquæ fons  
Tot tibi cisternas veteres aperiare laboras.  
Quarum nec una quidem vitales continet undas?  
Ne precor usque adeò leges mirere Lycurgi,  
Nec tam antiqua tibi placeat precepta Solonis.  
Non Numa Pompilius, nec docti jura Platonis  
Occurrant, que cuncta carent munimine vita.  
Verum si legum tibi conditor est quis amandus;  
Legislatorem verum tibi dilige Christum;  
Lex Christi leges alias; gens ipsius omnes  
Religione alios populos precellit, &c.*

Quibus, & illa D. Paulini (k) convenire videntur,

*Quid enim tenere bonum, aut verum queant?  
Qui non tenent summe caput.  
Veri bonique sumitem, & fontem Deum,  
Quem nemo nisi in Christo videt?*

Quæ referens Albanus Spinasatus (l) concludit, non in sacris solum, sed & publicis in legibus haberi, insanos & helleborosos censendos esse Legislatores, qui non recte divinis sunt initiati, & ab his sua auspicantur edicta, qua sine vera Religione labescunt.




## EM-

(f) L. fin. In fin. C. de modo multar. Burgos de Paz, Co-  
chier, Callis. Ramir. Perot. Valenz. & alii apud Med.  
2. tom. lib. 4. cap. 12. num. 72. vide latè Beyerlinch. verb.  
Leges, pag. 61. & seqq. doctè, & copiæ D. Joan. Matienz.  
in tract. de natura legum.  
(g) Doct. sup. tit. D. & C. de legib. Velazq. de optim.

Princip. lib. 4. annot. 2. Petr. Gregor. à. cap. 5. Saaved. d.  
Empr. 21. Matienz. ubi supr.  
(h) Natal. Com. lib. 27. hist.  
(i) Alex. Salamanca. in Dialog. de Rep. Christ.  
(k) D. Paul. in carm.  
(l) Spinasat. in Politism. lib. 1. cap. 1. &c. 2.

## EMBLEMA LXVII.

## LEGUM LANGUOR.



*Ferreus arcano trahitur Magnetis amore  
Annulus; inde alium protinus ipse trahit.  
Tertius hunc sequitur, longo sic ordine plures,  
Quique magis distant, hos trahit ipse minus.  
Sic jus languescat, ruet observantia legum,  
Quò magis abfuerint Principis ora Pii.*

## COMMENTARIUS.

1 **P**raeclare docuit Pomponius Juris-Consultos (a), parum esse jura & leges in civitatibus inveniri, nisi sint qui jura reddere possint. Quod licet ad Magistratus respiicit, Nos nunc, non minus vere & congruent, ad Reges & Principes trahimus, illos iterum, atque iterum admonentes, parum se fecisse putare debere, si justarium salutariumque legum moenii, seu vallis, sua seperint Regna, nisi simul eorumdem sedulos se custodes, & excubitores ostendant.

2 Nam ut & in aliis, Augustus Caesar, testante Paulo Juris-Consultus (b): *Salutem Reipublicæ tueri, nulli magis creditur convenire, nec alium sufficere ei rei, quam Cesarem, ita hoc præcipue de legum tutela, ac custodia credere debent, quæ ut Columela (c) inquit, in benè moratis civitatibus, earum primoribus, atque optimatibus semper fuit reservata, & nisi Rex juvet ipsum quod jubet, suoque calore, ac vigore foveat, & tuetur, nil leges sine moribus vanæ proficiunt, ut alibi dixit Horatius (d), nulloque discriminè languentes & perententes, pravæ mores, ut Plautus (e) ait, eas in suam potestatem perducent, & in civitate dominabuntur.*

3 Unde merito Petr. Andr. Canonherius (f) dicere potuit, quod quemadmodum nihil differt habere pharmaca, & remedia, & iis nolle agrotos uti: sic paria sunt, non habere leges, & in civitate non servari, adducens in rem hanc Joannis Lautembarchii (g) Emblema, sive Epigramma, quod sic habet,

*Ut sine pistillo frustra campana movetur,  
Inque caris semper turribus era silent.  
Esse supervacuas sic leges nemo negabit,  
Has nisi præcipiat Rector habere locum.*

Ve-

(a) Pomp. I. C. in l. 2. §. post originem, de orig. jur.  
(b) Paul. in l. 3. de offic. Pref. Vigil. vide Gall. de pac. publ. lib. 1. cap. 1. & 4.  
(c) Colum. lib. 12.

(d) Horat. lib. 3. od. 24.  
(e) Plaut. in Trinum.  
(f) Canonher. in Apb. pol. tom. 1. pag. 499.  
(g) Joan. Lautembarch.